

TRACTATUS XI.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA SACRAMENTORUM N. L.

§ I. QUID SINT SACRAMENTA ET SACRAMENTALIA.

106. I. Sacramentum N. L. est res sensibilis quae, ex stabili institutione Christi, vim habet gratiae significandae et efficiendae. Quare et brevius dici solet : Signum practicum seu efficax gratiae.

Hinc ad sacramentum N. L. constituendum requiruntur tria :

1^o Res sensibilis quae sit signum gratiae sanctificantis, ex gr. aqua et verba sacramentalia in baptismo.

2^o Stabilis institutio a Christo Dño facta.

3^o Vis data huic signo sensibili ad conferendam gratiam uso suo seu *ex opere operato*. Hac locutione theologica significantur duo : prius, excludi dispositiones subjecti recipientis vel ministri conferentis, quatenus essent causae efficientes vel meritoriae gratiae, quamvis saepe requirantur dispositiones subjecti ad modum praerequisitae conditionis seu removentis obicem gratiae : posterius, posito ritu sacramentali, gratiam infallibiliter conferri dummodo obex desit.

Intellegitur autem gratia habitualis quae primo confertur in sacramentis mortuorum (*gratia prima*), augetur vero in sacramentis vivorum (*gratia secunda*). Simul quoque datur jus ad auxilia gratiae actualis suo tempore obtinenda, quibus homo assequatur finem singulorum sacramentorum proprium (*gratia sacramentalis*), ex gr. ut baptizatus vivat sicut decet filium Dei adoptivum, ut confirmatus fortiter fidem profiteatur, etc.

II. Septem sunt N. L. sacramenta, vid. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. Ita definit Trid. (Sess. 7. can. 1), anathemate percussis iis qui dixerint sacramenta N. L. non fuisse a D. N. J. C. instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, aut aliquod horum septem non esse verum et proprie sacramentum. Dogmaticis relinquemus curam peius explicandi et adversus Protestantes tuendi sacramentorum numerum et naturam.

107. III. Sacramentalia dicuntur caerimoniae ab Ecclesia institutae, vel res ab ea sacrae aut benedictae in utilitatem spiritualem fidelium. Inter ritus eminent ordinationes infra diaconatum (n. 425), signum crucis, caerimoniae Missae, benedictio abbatum, etc. Inter res praecipuum locum obtinent altaria, templa, vasa consecrata, aqua lustralis, etc.

Sacramentalia vi sua nullam conferunt gratiam habitualement vel actualement : nam utraque in Dei potestate est, ideoque ex ejus tantum institutione alicui ritui sensibili adnecti potest. Sed quae consistunt in aliqua consecratione infallibiliter, modo adsint requisitae condiciones, efficiunt ut res vel persona sit Deo cultuique divino dicata, ex gr. ut clericus per se perpetuo aptus sit ad officia ordinum minorum exercenda, ut scapularia sint benedicta cum favoribus quos huic benedictioni Ecclesia adnectit, etc. Nam hujusmodi effectus prorsus pendent a voluntate Ecclesiae instituentis. Insuper sacramentalia quae consistunt in quadam deprecatione, impetrant merito Ecclesiae, quamvis non infallibiliter, ea quae ipsius nomine a Deo petuntur, quales sunt gratiae actuales, bona temporalia vel spiritualia, immunitas a vexationibus daemonis, etc. Nempe cum Ecclesia, auctoritate a Christo accepta, hujusmodi ritus vel res sacras instituerit, inest iisdem ex dignitate instituentis aliqua vis et dignitas specialis ad obtinendum a Deo ea quae hujusmodi precationibus flagitantur. Unde dicuntur sacramentalia agere *ad instar operis operati*. Venialia autem peccata sacramentalium usu eatenus remittuntur quatenus usus iste excitat in homine bonos motus, puta reverentiae in Deum et in res divinas, quibus peccati remissio obtineatur. (S. Th. 3. q. 87. a. 3 ; Ball. P. n. 86 seqq.)

§ 2. QUID CIRCA MATERIAM ET FORMAM SACRAMENTORUM
SERVANDUM SIT.

108. I. Essentia sacramentorum *materia et forma* constat. Eruitur e Decreto pro Armenis (Bulla Eugenii IV, *Exultate Deo*, Denz. n. 590), ubi : " Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur vid. rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacra-

mentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. „ Cfr. Trid. Sess. 14. c. 12.

Hunc loquendi modum adhibuere Theologi scholastici ex analogia cum physicis corporibus, sacramenta spectantes ad modum compositi physici. Nempe in signo sensibili a Christo instituto distinxerunt partem quae minus distincte invisibilis gratiae collationem significat, vid. actionem, ex. gr. lotionem baptizandi, quae ex se posset ordinari ad plura, puta ad refrigerandum, et partem quae eandem gratiae collationem distinctius significat vid. verba, ex. gr. formulam baptismalem, qua lotio determinatur ut sit lotio sacra ad peccata abluenda. Materia autem, quae simul cum forma constituit unum signum efficax gratiae, vocatur *materia proxima*. Haec confundenda non est cum *materia remota*, ex. gr. aqua in baptismo, pane et vino in Eucharistia, neque cum *materia circa quam*, qualia sunt peccata in poenitentia.

- Hae notiones difficiliter applicantur sacramentis poenitentiae et matrimonii, quae non sunt instituta, sicut reliqua, per modum ritus sacri quo certa verba sub quadam actione pronuntiantur, sed hoc per modum contractus, illud per modum iudicii. Hanc difficultatem, quae imprimis dogmatica est, suis locis tangemus quatenus pro scopo nostro necessarium videbitur. (nn. 263, 455)

109. II. Ut sacramentum sit validum, debet inter materiam et formam, ex. gr. inter effusionem aquae et pronuntiationem verborum, tanta esse conjunctio ut, secundum moralem hominum aestimationem, spectata natura cuiuscumque sacramenti, una alteram afficiat; hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem et cum ea unum totale signum constituere. (Bus. ap. S. Alph. l. 6. n. 8) Hinc:

1° In baptismo, confirmatione, unctione et ordine, non requiritur ut actio, quae in his rationem materiae proximae habet, eodem instanti physico ponatur quo verba formae pronuntiantur, sed sufficit ut actio fiat immediate postquam forma absoluta est. Nulla enim solida ratione exigitur physica illa simultaneitas. Quare, licet eam aliqui AA. antiquiores necessariam putaverint, sententiam nostram moraliter certam vocat S. Alph. (n. 9) De unione necessaria inter Eucharistiae materiam et formam cfr. n. 173.

2° In poenitentia, satis diu differri potest absolutio post accusationem, modo ex adjunctis pateat nexus inter utramque. Nulla enim ratione vel auctoritate niti videtur quod S. Alph. (l. c.) obiter asserit: non posse inter utramque intercedere eam distantiam quae in iudicio forensi saepe inter examen causae et sententiam intercedit. Contrarium suadet natura hujus sacramenti, quod ad normam iudicii institutum est. (Ball. P. n. 8)

3° In matrimonio, unius consensus potest alterius consensum tandiu sequi quamdiu hic moraliter permanere censetur, sicut in aliis contractibus. (Bus. ap. S. Alph. n. 10)

110. III. Ut valeat sacramentum, non debet fieri substantialis seu essentialis mutatio materiae vel formae; accidentalis vero mutatio, etsi saepe illicita sit, non tamen invalidum facit sacramentum. Porro substantialis mutatio materiae dicitur, quando, secundum communem usum et aestimationem hominum, differt nomine et re ab ea quam Christus praescripsit. Accidentaliter dicitur quando cum ea eundem retinet usum et nomen. Formae mutatio essentialis est quando non manet idem sensus; accidentaliter, quando manet. (Bus. ap. S. Alph. n. 11) Hinc:

1° Baptismus invalide cum lixivio, valide cum aqua calida confertur (n. 133; Eucharistia invalide consecratur in materia cruda, valide in pane atro, etc. (n. 169)

2° Defectu formae sacramentum est nullum: a) Si litterae aliquae mutentur, variantes sensum, quod facile fit in initialibus, ex. gr. *in nomine matris, filii*, etc. — b) Si magna fiat interruptio verborum, ita ut moraliter non videantur cohaerere, ex. gr. si quis dicto: *Hoc est corpus*, tussi concuti inciperet per medium quadrantem et postea adderet *meum*. (La Croix, l. 6. p. 1. n. 33) — c) Si forma divisim pronuntietur, ex. gr. unus dicat: *Ego te baptizo*, alter: *In nomine Patris*, etc. quia erunt duae formae imperfectae et sensus falsus. (Bus. l. c.)

3° Forma valet, etsi non liceat: a) Si omittas voces non essentielles, ex. gr. *ego* in forma baptismi. (n. 137) — b) Si quid addas, ex. gr. *In nomine Patris qui te creavit*, etc., dummodo sensus non mutetur, ut fieret dicendo: *In nomine Patris increati, Filii creati*, etc. (La Croix, l. c. n. 34) — c) Si substituas synonyma, ex. gr. *abluo*, pro *baptizo*. (n. 137) — d) Si tantum transponas, ut: *Hoc meum est corpus*. (n. 176) — e) Si verba corrumpas ob praecipitantiam et balbutiem, ex. gr. *Hoc est corpus meus*. — f) Si interruptio fiat parva, ex. gr. *Ego te baptizo* (et interponas *Ista aqua est nimis frigida* vel *Custos, verte folium*) *in nomine Patris*, etc. (Bus. l. c.)

4° Si in forma sacramentali fit aliqua mutatio vel additio quae ambigam reddat ejusdem significationem, sacramentum erit validum vel invalidum prout formam alterans intentionem habet eam adhibendi in sensu quem Christus intendit vel in sensu substantialiter diverso. Nam, ut locutio sit vere humana, necesse est non tantum ut verba apta sint ad significandum quod Christus instituit, sed etiam ut ea proferens idem significare intenderit. Hoc principio ductus videtur Zacharias PP. dum rescripsit (Decr. Grat. de Consecr. dist. 4. c. 86) non esse rebaptizandum eum qui baptizatus esset sub formula: *Baptizo te in nomine Patria et*

Filia et Spiritu Sancta, si minister baptismi ita egit " non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringens linguam. „ Sic quoque valebit forma baptismi, addito, e devotione praepostera, nomine B. M. V. nomini trium personarum divinarum; non valebit, si quis ita intendat quaternitatem personarum significare.

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

§ I. DE REQUISITIS AD SACRAMENTUM VALIDE MINISTRANDUM.

111. I. Ad valorem sacramentorum non requiritur in ministro status gratiae vel fides. Ita definivit Trid. (Sess. 7. de Sacr. in gen. can. 12) de ministro qui in peccato mortali existat, et (Sess. 7. can. 4. de Bapt.) de ministro haeretico baptismum conferente. Idem fusius Dogmatici ex traditione demonstrare solent.

II. Ad valorem sacramentorum requiritur in ministris, dum ea faciunt, **intentio** saltem faciendi quod facit Ecclesia. (Trid. Sess. 7. de Sacr. in gen. can. 11) Quare proscribitur ab Alex. VIII prop. 28^a: " Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus tamen in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia. „ Igitur nequaquam sufficit intentio faciendi illum ritum externum qui in Ecclesia fieri solet: nam, etiamsi serio iste ritus peragitur, actio haec mere profana esse potest, nisi accedat intentio faciendi quod Ecclesia facit, qua determinatur ut sit actio sacra seu sacramentum. Vid. cum sacramentum nemo conficere possit nisi quatenus ministrum agat Christi, oportet ut intentionem ita agendi explicite vel implicite habeat. Habebit autem explicite si intendit facere quod Christus instituit; implicite, si intendit facere quod facit Ecclesia. Hinc:

1^o Defectu intentionis minime consecrat sacerdos qui, ad rubricas addiscendas, verba consecrationis super panem recitat.

2^o Validus est baptismus collatus ab eo qui non credit illud esse sacramentum aut habere aliquam specialem virtutem, dummodo intendat facere quod fit in Ecclesia. Exemplum habes in baptismo quem medicus incredulus conferret puero periclitanti, unice ut faciat quod mater catholica ab eo cupit. (S. Th. in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. ql. 2. ad 1)

3^o Valet baptismus collatus ab haeretico qui nolit facere quod facit Ecclesia Romana, sed quod sua, falso putans non Romanam, sed suam esse veram, etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio est, quod intentio generalis qua vult quod Christus instituit, praevalet intentioni provenienti ex errore privato. (Bus. ap. S. Alph. n. 25)

4^o Invalidae sunt ordinationes presbyterales vel episcopales ritu Anglicano peractae, ut definivit Leo XIII. (Const. *Apostolicae curae*, 13 Sept. 1896) Etenim, tempore Eduardi VI, ritus ordinationis immutatus est eo manifesto consilio ut alius induceretur ab Ecclesia catholica non receptus, utque id repelleretur quod facit Ecclesia et quod, ex institutione Christi, ad naturam attinet sacramenti, vid. potestas consecrandi et sacrificii offerendi. Quare " palam est non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem. „ (Const. cit.) Vid. Anglicani Ritualis redactores intenderunt quidem constituere ministrum quem sacerdotem vel episcopum nominare possent, nequaquam intenderunt verum facere sacerdotem. Notetur autem hic non agi de errore privato, sed de intentione publice manifestata mutandi ritus ut haeresim introducerent. (1) Cfr. n. 110, responsum Zachariae PP. Accedit defectus formae, de quo n. 428.

112. III. Ad valorem sacramenti requiritur et sufficit in ministro intentio virtualis. *Requiritur*, seu non sufficit habitualis: nam necessaria est intentio quae possit denominare actionem factam esse a ministro, nomine Christi; ad hoc autem requiritur intentio quae influat in opus, quod tantum verificatur de intentione actuali vel virtuali; unde, sicut intentio habitualis non sufficit ut actio denominetur bona vel mala (Vol. I. n. 10), ita neque sufficit ut denominetur facta nomine hujus vel illius. (Lugo, disp. 8. n. 90) *Sufficit*, seu non requiritur actualis: nam haec a virtuali eatenus differt quatenus actus procedit a voluntate sub attentione reflexa ad actum voluntatis. Jamvero nihil probat talem attentionem ad valorem sacramenti necessariam esse: siquidem etiam intentio virtualis est formalis voluntatis actus. Immo, cum hujusmodi attentio non sit in nostra potestate et homo facile distrahatur, nimis durum et plenum scrupulis fuisset, si Christus hanc requisivisset. Hinc:

2^o Invalida esset administratio sacramenti facta ab eo qui in amentia, ebrietate, somno, etc. ritum sacramentalem poneret, etiamsi ante ebrietatem vel somnum id intenderit: ibi enim ad summum habitualis voluntas reperiretur. (Bus. l. c.)

(1) Haec videsis fusius exposita in erudita dissertatione P. Salvat. Brandi, S. J. Rome et Cantorbéry; commentaire de la Bulle *Apostolicae curae*. (1898) p. 125 suiv.